



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio I. Non potuit mereri substantiam Incarnationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

DISPUTATIO XXVIII.

De meritis Dominae Mariae ad Incarnationem.

SECTIO I. Non potuit mereri substantiam Incarnationis.

SECTIO II. Vtrum Domina Maria meruerit circumstantiam Incarnationis?

SVBSECTIO I. Pars affirmans concluditur.

SVBSECTIO II. Respondetur primae obiectioni.

SVBSECTIO III. Secunda difficultas.

SVBSECTIO IV. Duo alia responsa.

SVBSECTIO V. Aliud responsum similis veri.

SVBSECTIO VI. Respondetur ad difficultatem.

SECTIO III. Vtrum Domina Maria meruerit condignè maternitatem Christi?

SECTIO IV. Vtrum de potentia communi potuerit Virgo mereri maternitatem?

SECTIO V. Vtrum de potentia absoluta potuerit Virgo maternitatem condignè mereri?

SVBSECTIO I. Pars negans quorum sit?

SVBSECTIO II. Prima conclusio.

SVBSECTIO III. Secunda conclusio.

SECTIO I.

Non potuit mereri substantiam Incarnationis.

§. 1. **S**ancta Maria nihil habuit gratiae supernaturalis nisi ex meritis & gratia Christi. Vnde concludo substantiam vnionis hypostaticae, nec per potentiam absolutam potuisse cadere sub meritum condignum aut congruum Mariae, ortum ex illa gratia (de qua est controuersia; non verò de alia gratia possibili independenter à meritis Christi.) Rationem reddidi disp. 27. §. 2. 3. 4. & 25. quia illa merita iam sunt effectus vnionis hypostaticae vt praeuisa existere: ergo ex suppositione meritum vnio est inseparabilis à meritis Mariae: ergo non potest esse illorum praemium: quia hoc est separabile à meritis secundum se consideratis: quibus praeuisis potuit Deus nihil dare; quia potuit nihil spondere. Quòd si dat necessariò ex suppositione meriti; illa suppositio non erit ex ipso merito, sed ex pacto; quod separabile fuit à merito.

§. 2. Nec quidquam refert meritum esse congruum: quia illi magis repugnat mereri suum principium: quia praemium est magis liberale: quia datur non merenti absolute, sed secundum quid: at quod est inseparabile à praemio, non est obiectum liberalis remunerationis pro illo merito. Ratio igitur à priori, quae probatur principium meriti non cadere sub meritum, est inseparabilitas principij & meriti, facta meriti suppositione, quae inseparabilitas impedit liberalitatem, aut gratiam; quae nulla est in dando: quod negari non potest supposito merito. eadem ratione probatur nec actum ipsum posse esse praemium sui, nec congruum, nec condignum: item nec esse praemium ea, quae de potentia absoluta separari non possunt à merito, etiam si consequentia sint; nec ex natura rei sunt praemium, quae necessitate naturali meritum sequuntur. de meritis in intentione & executione egi disp. 27. à §. 17. Si enim Christus non potuit mereri condignè executionem: ergo nec patres congruè: quòd si ij congruè: ergo & ille condignè. Quando dico praemium esse separabile à meritis, ago tum in opinione constitutentem totam dignitatem meriti independen-

Per. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

ter à pacto: tum quia licet pendeat; ago de merito secundum requisita ex parte ipsius, non verò ex parte alius contrahentis. Principia ergo actus non sunt ab illo separabilia, nec possunt esse obiectum remunerationis. Haec sententia est Scoti in 4. dist. 2. q. 1. ver. Ad primum argumentum; S. Bonauent. in 3. dist. 4. a. 2. q. 1. Gabr. art. 3. dub. 3. Ricardi a. 3. q. 1. Marfil. q. 5. a. 2. conclus. 3. & 4. & a. 3. dub. 1. Almain. q. 1. dub. 3. Alensis 3. p. q. 8. num. 3. a. 2. P. Petri Canisij lib. 2. de B. Virgine c. 16. P. Vasquez disp. 12. c. 2. Soti, Ferrariens. & aliorum.

§. 3. In oppositam sententiam inclinat S. Thomas q. 2. art. 11. negans meritum condignum ad Incarnationem, admittit congruum. Verum facile explicatur: de circumstantijs; vt patet ad 3. vbi ait B. Virginem non meruisse Incarnationem, sed maternitatem: habuit enim gratiam tantam, quanta congrueret maternitati. P. Suarez disp. 10. sect. 7. ver. Dico tertio, ait patres potuisse mereri congruè Incarnationis executionem; praemiserat autem eos non potuisse mereri praedestinationem. Quae sententia displicuit multis: quia qui aliquid meretur, meretur vt Deus id velit. At in alio est sensu: non negat P. Suarez meritum vt Deus velit executionem, sed primam praedestinationem: quia vnio est prius visa existere in ordine intentionis vt principium meritum; non verò in executione. subscribit P. Ragusa disp. 44. §. 1. ver. Secunda sententia: Lorca disp. 21. absolute negat meritum congruum Incarnationis; quamuis oppositum censet probabile. P. Valentia disp. 1. q. 2. p. 8. ver. Porro verò, absolute docet meritum congruum substantiae Incarnationis; quem sequitur Nazarius q. 2. art. 11. controuers. 2. ver. Nomine patrum.

§. 4. Probant Primùm, quia proprium est dispositionis perfectae supernaturalis mereri gratiam, quae datur gratis; vt patet in iustificatione: ergo & mereri Incarnationem. Nego consequentiam: quia gratia non fuit principium meriti; secus vnio: nulla ergo dispositio potest mereri suum principium; quia est ab illo inseparabilis ex suppositione, quòd sit meritum.

§. 5. Secundò probant, *Rorate cali desuper, &c.* Respondeo id summum probare de aliqua circumstantia, non verò de substantia.

§. 6. Tertio, quia si quid obesset, id esset maxime, principium meriti non cadere sub meritum: sed hoc accipi-

S. Thom.
q. 2. art. 11.

tur de merito condigno, non de congruo: ergo. Minor probatur, quia meritum condignum est causa per se, & absolute præmij: præmij item esset absolute causa meriti, ut patet: at meritum congruum non est absolute causa præmij: item nec præmij est simpliciter præmij, nec meritum simpliciter meritum. Vnde argues: Præmij condignum est iustitia, quæ non datur ad seipsum: secus præmij congruum, quod est liberalitas. Confirmatur exemplo philosophico: Ultima dispositio oritur à forma; & forma est terminus ultimæ dispositionis. ita P. Ragusa disp. 44. verf. *Ad difficultatem ergo.*

§. 7. Non attingunt ratione, cur principium meriti non cadat sub meritum: non enim est quod repugnet idem esse causam, & effectum sui. Primum, quia multi admittunt mutuas causalitates physicas, & morales; ut P. Vasquez, & (apud multos) S. Thomas & eius sectatores: qui tamen negant principium meriti cadere sub meritum. Vnde si confirmatio è §. 6. quid vrget; vrgeret meritum condignum: siquidem duæ causæ possunt esse mutua absolute, & non secundum quid. Secundò, quia principium meriti pro hoc instanti potest cadere sub meritum in instanti sequenti: ego in hoc instanti exerceo actum meritorium; quo possum mereri, ut Deus mihi conferret gratiam instanti sequenti: quia quando est præmij, non est formaliter meritum: quod de merito Christi dicam disp. 63. At nihil potest esse causa physica sui pro illo instanti. Nec verò meritum & præmij essent mutua causæ in eodem genere, ut opinatur Nazarius esse in genere causæ finalis: etenim meritum non mouet, ut fit, sed quia est; ob quod est præmij causa efficiens moralis: præmij autem magis habet de causa finali: non enim mouet, quia est, sed ut fit. comparantur enim ut exercitium, & sanitas: illud sanitatem efficit, quia est; hæc autem ut fit, mouet ad illud. Ostendi disp. 8. Physic. finem & efficiens posse esse mutuo causas (quamuis id negauit in causis physicis.) Igitur ex hoc capite non repugnat principium meriti cadere sub meritum.

§. 8. Ratio autem à priori est à me reddita perapertè: quia præmij condignum (multò magis congruum) est separabile à merito, etiam ex suppositione quòd existat in ratione meriti: alioquin nec esset remuneratio, nec gratia, nec liberalitas: at principium meriti est inseparabile à merito ex suppositione quòd existat in ratione meriti. Hoc autem multò clarius est in merito congruo; pro quo redditur præmij omnino gratis, & sine debito. Hinc patet ad §. 6. Dici solet ex S. Thoma orationes de necessarijs ad salutem mereri de congruo ipsi petentibus quæ petunt: sed sancti patres petebant Incarnationem necessariam ad salutem: ergo eam meruerunt congruè. Distinguo Maiorem: merentur principia inseparabilia ab ipsis orationibus, nego Maiorem: merentur alia separabilia, concedo Maiorem. In quo sensu accipe S. Thom. Incarnatio autem est inseparabilis ab illis orationibus; quia est illarum principium: patres autem non petebant Incarnationem absolute, sed cum aliqua circumstantia consequente orationes ipsas: quibus se disponebant non ad impetrandum beneficium, sed ad illud sanctè recipiendum. Quod autem petebant, impetrauerunt propter amicitiam cum Deo, nempe circumstantias: desideria autem erant

de Incarnatione secundum se, & cum circumstantijs, quas meruerunt. Hinc patet ad argumenta Nazarii controuerf. 2. 1. p. verf. *Docet autem*, & verf. *Secundò sequitur.*

§. 9. Referam §. 23. opinionem, qua componi possit meritum Mariæ ad productionem Christi, in qua sententia mereri potuit substantiam Incarnationis, quin principium meriti; à dat sub meritum: quia principium meriti est humanitas secundum se, & in intentione: cadit autem sub meritum, ut producta, & in executione: quia meritum non oritur ab humanitate ut producta, sed ut existente.

SECTIO II.

Virum Domina Maria meruerit circumstantiam Incarnationis?

SUBSECTIO I.

Pars affirmans concluditur.

§. 10. **B.** Mariam meruisse circumstantiam maternitatis communis est Scholasticorum assensus: S. Thomas hoc art. negans Virgini meritum condignum Incarnationis, fatetur congruum. Quæ sententia est communissima; à qua non libet discedere, cum non sit pro opposita graue fundamentum.

§. 11. Est apertè S. August. tom. 3. in Enchiridio cap. 34. *Quem fides matris, non libido concepit.* Obijcies ex cap. 36. Enchiridij tom. 3. ubi ait eam gratiam collatam humanitati Christi in vnione, quæ eius matri in maternitate: & sæpè maternitatem tribuit electioni Dei; quod absque meritis sonat. est que commune Patribus & Ecclesiæ adscribere dignitati personæ meriti nomen: ut dignus honore dicitur quis non ob meritum semper, sed ob excellentiam. imò de cruce dicitur: *Electa digno sumpite; tam sancta membra tangere.* item: *Sola digna tu fuisti ferre sacri pretium.* quin & de peccato dicitur: *O felix culpa, qua talem ac tantum meruit habere redemptorem!*

§. 12. Respondeo Patres & Ecclesiam sic posse exponi, quando non meminerunt bonorum operum: at quando de illis mentionem faciunt, eis que tribuunt effectum; tribuunt in ratione meriti & impetrationis: alioquin nec de merito vitæ æternæ possemus eos adducere. Cum ergo ex August. Virgo conceperit fide, idem est ac vi impetrante per merita fidei: & quia hæc fides est ex nullis nostris meritis; ideo maternitatem dicit ex gratia, qua humanitas est vnita: seruat discrimine, quòd humanitas non exercuit bonum opus antecedenter; secus Virgo.

§. 13. Hinc arguo à priori: In Virgine præcessere opera bona gratiæ, ex quorum præuisione Deus decreuit maternitatem: ergo vi impetratiua motus est Deus. Antecedens constat ex Patribus, qui admittunt ideo Mariam electam ad maternitatem, quia in ea fuit maxima gratia inter puras creaturas: item quia id potuit facile esse. Consequentiam probò: quia vix capimus aliquem moueri ex bono opere præuiso ad aliquid donandum, quin moueatur vi impetratiua, & morali: mouetur enim bonitate morali eius operis: ut mouetur bonitate